



## **Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque**

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &  
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis  
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,  
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1616**

Sectio 3. Vtrum ius antiquum amplius requirat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

SECTIO III.

Vtrum ex iure antiquo esset aliqua alia conditio necessaria in sacerdote, vt esset idoneus index delegatus in hoc foro.

**D**Vos modos huius delegationis supra distinximus, scilicet directe factam ipsi confessori, vel media facultate data poenitenti ad eligendum confessorem: & vtramque fieri posse, vel à Summo Pontifice, vel ab Episcopo, vel à Parocho. Vt ergo Pontifex, aut Episcopus delegarent hanc iurisdictionem alicui sacerdoti directe, & per priuilegium seu gratiam illi concessam, nulla alia conditio in eo requirebatur ex vi iuris antiqui, præter eas, quæ ex natura rei in eo sunt necessariae, vt sit dignus & idoneus ad hoc ministerium. Quod est certum, quia nec in iure habetur talis conditio: nec ex consuetudine, nec facile excogitari potest: quia nec requirebatur in tali persona prior iurisdictione: nam poterat, sicut & nunc possunt Papa & Episcopi delegare hanc iurisdictionem simplicibus sacerdotibus: neque etiam requirebatur alia prior approbatio: nam ipsi poterant immediate approbare. Atque hoc maxime constare potest in priuilegiis, seu facultatibus, personalibus ac particularibus. Nam de priuilegiis concessis à Pontificibus in communi, v.g. aliquibus religionibus, dubitari potest, an requirerent approbationem Episcopi, non quidem quia Papa non posset alter illam concedere: nam oppositum certum est, vt ex superioribus constat: sed quia de facto & secundum commune ius non aliter eam concedebant. Et de hac re, quid diuersis temporibus seruatum fuerit, dicemus sect. sequente.

**D**ifficultas ergo super primò de Parocho delegante suam iurisdictionem alicui sacerdoti, deinde de quolibet poenitente habente generalem facultatem eligendi confessorem idoneum, an secundum commune ius antiquum postularetur aliqua conditio in sacerdote, vt reputaretur idoneus. Et in hoc fuit quorundam opinio, etiam in iure antiquo fuisse necessariam alterutram ex duabus conditionibus, scilicet, vel quod haberet in Ecclesia aliquam iurisdictionem ordinariam in hoc foro, vel quod esset ab Episcopo approbatus tanquam idoneus. Prior conditio non est ita intelligenda, vt oporteret talē confessorem habere iurisdictionem ordinariam in ipsum poenitentem, alioqui esset impertinens delegatio: sed intelligenda est absolute, quod talis sacerdos haberet iurisdictionem ordinariā circa aliquē populum. Loquimur autem de iurisdictione ordinaria, prout iure communi haberi solet in Ecclesia per beneficia Ecclesiastica, vt excludamus nunc superiores religionum, qui etiam habent iurisdictionem ordinariam: tamen de illa nō loquuntur auctores in presenti, quia est ex priuilegio, & quasi extraordinaria: de illa vero aliquid attingemus sect. sequenti.

**I**uxta hanc ergo declarationem poterat vnus Parochus iuxta antiquum ius delegare suam iurisdictionem alteri Parocho, & qui habebat facultatem eligendi confessorem, poterat quemcumque Parochum non suum eligere, & hoc semper fuit indubitatum in Ecclesia, cuius rationem, & maiorem expositionem attingemus sectione sequente. Ad dit ergo hæc opinio, simplicem sacerdotem non potuisse tunc eligi, nisi esset ab Episcopo approbatus. Ita tenuit Glossa in c. Omnis viri usque sexus, verb. Alieno, & Glossa in Clement. 1. de Priu. verb. Speciali, quam omnes interpretes ibi esse secutos vsq; ad Panormitanum exclusiue, ait Nauar. infra citandus, qui etiam refert Capellam Tolosanam decis. 221. Idē secutus est Cano Relect. de poenit. p. 5. & indicat Ruard, art. 3. quatenus cum Henrico quolib. 10. q. 4.

**A** dicit, esse contra rationem, & contra bonum Ecclesie committere poenitentibus, præsertim idiotis, iudicium idonei confessoris. Atq; hinc sumitur ratio huius sententiæ, quia facultas hæc quando generatim datur, intelligi debet conuenienti modo, & absq; detrimento fidelium, & morali periculo committendi sacrilegia in administratione huius sacramenti: ergo ita semper intelligi debuit, vt esset necessaria aliqua approbatio publica, qualis solū esse potest, aut per susceptam animarum curam, aut per Episcopi approbationem. Atque hoc confirmant decreta antiqua, quæ dicunt, nō posse presbyterum reconciliare poenitentem sine licentia Episcopi, vt expresse habetur in Conc. Hispal. 2. c. 7. & apud Damasum Epist. 4.

**O**pposita sententia communis est, quam tenet Palud. in 4. d. 17. q. 4. nu. 17. & 18. & ibi Gabr. quest. 2. art. 3. dub. 5. Adrian. post quest. 5. de confess. dub. 1. Caietanus in Summa verb. Absolutio. Syluest. verb. Confessor. 1. q. 5. Angel. Confessio. 3. nu. 4. Anton. 3. part. tit. 17. c. 9. Soto d. 18. q. 4. artic. 3. circa finem, Medina Cod. de Confessione, q. de Sacerdote alieno per Parochum eligendo, Victoria in Summ. n. 150. & Nauar. in c. Placuit, de poenitentia d. 6. n. 49. & sequentibus, vbi in eandem sententiam refert Panormitanum in Clem. 1. de Priuilegiis, cum aliis. Et hæc sententiam veram existimo.

**D**ico ergo primo, Parochus ante concilium Tridentinum ex vi iuris communis poterat & valide, & licite suam iurisdictionem committere cuiuscumq; sacerdoti, qui secundum naturale seu diuinum ius idoneus esset ad hoc sacramentum ministrandum, etiam si aliam iurisdictionem vel Episcopi approbationem non haberet. Probatur, quia in delegante erat potestas, quia hæc conuenit ei ex vi ordinariæ iurisdictionis, & hæc non erat ligata aut impedita, vt supponimus: quia ex parte ipsius Parochi nullum erat ius positium prohibens illi delegationem; imo neque nunc est, vt infra videbimus. Rursus ex parte alterius extremi in sacerdote erat capacitas; & nullum etiam erat ius specialiter requirens in illo alterutram ex dictis conditionibus, quia neque in Concilio, aut Pontificio decreto ostendi poterit: neque etiam ex natura rei sequitur: nam cui committebatur oues tanquam ordinario Pastori, etiam poterat committi cura assumendi dignum & sufficientem coadiutorem: & ideo quandiu hoc non prohibebatur, censebatur commissum, ergo. Atque hoc modo posset responderi ad illos antiquos canones, negantes posse sacerdotes reconciliare poenitens sine licentia Episcopi: nam qui à Parocho habet licentiam, mediate saltem cõsetur habere ab Episcopo, quandiu id non prohibet. Quamuis fortasse illi canones loquantur, vel de reconciliatione, quæ fiebat de publicis poenitentibus, vel de eo tempore, quo Episcopi erant quasi immediati pastores suarum diocesium, absq; diuisione parochiarū per propria beneficia. Semper tamen subintelligenda est conditio, dummodo talis sacerdos non sit specialiter suspensus, vel prohibitus ab Episcopo: nam hæc ipsa conditio in iure diuino aut naturali fundata est, vt in sectione præcedenti est declaratum: & ideo in ipso etiam Episcopo respectu Summi Pontificis est necessaria. Imo & in generali concessione Summi Pontificis idem subintelligitur, vt ex eodē principio constat.

**D**ico secundo, stando in iure antiquo, per generalem facultatem datam ad eligendum confessorem eligi poterat quilibet sacerdos iure diuino idoneus, absq; alia conditione, aut approbatione iure humano requisita. Probatur eodem fundamento, quia nullum ostendi potest ius, vbi hoc sit præscriptum. Vnde, si superior dans facultatem, expresse declararet in hoc sensu illam dare; dubitari nō potest, quin talis facultas esset valida: quia in dante non deerat pote-

Palud. Gabr. Adrian. Syluest. Angel. Anton. Soto. Medina. Victor. Nauar.

Prima conclusio.

Secunda conclusio.

Nauar. Cano. Ruard. Henric.

potestas, & nullum erat positum ius irritans eius voluntatem; & esse non habet ille modus adeo intrinsicam inordinationem, vt reddat facultatem irritam ex natura rei. Imo, si persona, cui daretur, esset prudens, & timorata, nullum peccatum esset talem facultatem ei concedere. Aliis vero communiter eam dare, regulariter non esset prudentie conforme; non tamen propterea facultas esset nulla, quia ad hoc oporteret assignare ius irritans illam.

7 Ex quo ulterius infero, quamuis daretur facultas per hæc generalia verba, *sacerdotes idoneum*, nõ fuisse limitandam, aut necessario interpretandam de sacerdote declarato idoneo publica auctoritate, alterutro ex dictis modis: quia etiam hæc declaratio, aut limitatio non habetur in iure: neque est necessaria ex vi solius rationis, quia aliis modis potest sufficienter constare de idoneitate confessoris, scilicet, per experientiam, aut publicam famam seu notitiam, aut per aliorum fide dignorum testimonium. Et quamuis verum sit ex concessione generali sic intellecta, & cuiuslibet de populo facta potuisse sequi incommoda; hinc solum inferitur pertinuisse ad curam pastorum Ecclesie illam non concedere sine maiori declaratione, aut circumspectione. Et ad vitanda hæc pericula condidit Concilium Tridentinum ius statim explicandum, quod esse nouum satis ex eius verbis constare poterit.

#### SECTIO IV.

*Quis Sacerdos sit idoneus minister huius sacramenti iuxta nouum decretum Concilij Tridentini.*

2 **C**ertum est post decretum Concilij Tridentini sess. 23. c. 15. de Reformat. non sufficere, vt persona sacerdotis, cui deleganda est iurisdictio in hoc foro, habeat omnia requisita ex diuino, seu naturali iure ad hoc ministerium peragendum, nisi de hoc etiam habeat specialem Ecclesie approbationem nouo illo iure decretam: nam hoc expresse ibi statuitur: & de fide certum est potuisse Concilium hoc decernere. Quod, vt exponamus oportet verba Concilij proponere, & multa, quæ circa hoc ius nouum dubitata sunt, adnotare. Sunt igitur verba Concilij, *Quamuis presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant (scilicet, potestatem ordinis in corpus Christi mysticum, vt in superioribus declaratum est) decernit tamen sancta Synodus, nullam etiam Regularem posse confessiones secularium, etiam sacerdotum, audire; nec ad idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopo per examen, si illi videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; & consuetudine quacumque, etiam immemorabili non obstantibus.*

2 **C**irca hoc igitur decretum primum omnium distinguendi sunt illi duo modi designandi sacerdotem idoneum, quos Concilium insinuat, scilicet, per beneficium parochiale, vel Episcopi approbationem. Ex quo duo certa colligimus. Primum est, quemlibet ex his modis per se sufficere: alterum est, aliquem ex his modis esse necessarium, neque aliam approbationem sufficere. Primum horum non tam fuit à Concilio introductum, quam recentum: semper enim illi duo modi approbationis habuerunt in Ecclesia magnam auctoritatem, & sufficientissimi iudicati sunt, vt patet ex dictis sess. præcedenti: & merito, quia cum Episcopi sint principales pastores animarum, merito illis hæc approbatio committitur: quia vero Parocho etiam committitur animarum cura, per hoc ipsum munus satis declaratur sufficiens ad confessiones audiendas; & ideo, quamuis solum recipiat iurisdictio in oves suas; tamen approbatus censetur, vt possit ei delegari hæc

A iurisdictio vbiusque & quocumque modo alias legitimo. Secundum autem, scilicet, quod alter ex his modis necessarius sit, nouum est, & à Concilio introductum, vt patet ex dictis sess. præced. & indicatur in illo verbo Concilij, *Decernit sancta Synodus*. Acque hinc colligitur, omnes sacerdotes, qui non habent parochiale beneficium, cuiuscumque status, ordinis, aut dignitatis existant, indigere Episcopi approbatione, vt possint hoc munus exercere: quia Concilium vniuersaliter loquitur, & nullum excipit; sed ampliat potius, etiam ad regulares, quamuis nõ loquatur respectu omnium penitentium, sed secularium, vt infra declarabimus.

B Aliqui tamen voluerunt excipere eos, qui habent publicum scientie testimonium, per gradum Doctoratus, aut Licentiatum in Theologia, vel iure Canonico, aut per publicam facti, seu doctrinæ euidentiā. Sed hoc improbabile est, quia hoc est ius posituum, cui standum est, & Concilium expresse excludit omnem alium modum, dicens, *Neg. ad id idoneum reputari, nisi, &c.* voluit enim esse hanc approbationem aliquo modo iuridicam, seu ex potestate iurisdictiois: & ideo illam non concessit Academicis, nec publice opinioni seu existimationi, sed Episcopis, ad quos etiam pertinet parochorum approbatio. Eo vel maxime, quod multa requiruntur ad hoc munus, quæ tam Doctoribus, quam iis, qui publice existimantur docti, facile deesse possunt. Maius dubium esse poterat de quibusdam personis Ecclesiasticis in altiori dignitate constitutis, vt sunt Cardinales, & Episcopi consecrati qui nullum verum habent Episcopatum, & si qui sunt alij similes. Veruntamen cum Concilium nihil excipiat, se simpliciter, & sine vlla adiectione dicat, *nullum*, neminem excipiendum censeo ratione consecrationis; aut dignitatis cuiuscumque, nisi quatenus habeat annexam aliquam animarum curam, vt inferius declarabimur.

C Secundo adnotandum est illud verbum Concilij, *Confessione secularium, etiam sacerdotum*, nam ex illo manifeste constat, ius hoc non habere locum respectu regularium; habere autem locum respectu omnium secularium sine vlla exceptione. Primum patet, quia Concilium ipsum addidit limitationem. Et fortasse ratio fuit, quia noluit Concilium in hoc subiacere regulares Episcopis quoad confessiones, quas ipsi faciunt inter se, seu de peccatis suis: quia ipsi habent proprium & peculiarem modum, quo gubernantur, & proprios pastores, à quibus confessores recipere solent. Vt etiam Concilium hoc fecit, quia plus confidit, moraliter & regulariter loquendo, de regularium penitentium conscientia, & prudentia. Sub nomine autem regularium etiam summas religiosas comprehendimus: quia illæ etiam secundum iura seculares non sunt.

Atque hinc colligitur primo, posse superiorem regularium exponere suis subditis confessorem non approbatum ab illo Episcopo, quia hoc potest iure antiquo, & communi. seu per propria privilegia; & per hoc decretum nihil in hoc est innouatum. Secundo sequitur, quod bene notauit Nauar. in Sum. c. 4. nu. 7. si religiosus nunc habeat facultatem eligendi confessorem, posse eligere quem inuenit sibi idoneum, quamuis ab Episcopo approbatus nõ sit. Ratio est eadem, quia Concilium in hoc nihil innouauit. Et congruentia esse potest: tñ quia religiosus facile est inuenire confessorem idoneum, regulariter loquendo, quia habere debent conscientias minus oneratas peccatis: tum etiam, quia Concilium præsumpsit illos fore prudentiores, & cautiore in confessoribus eligendis. Quidam vero hoc limitant, quando superior expresse concedit hanc facultatem: nam, si tãtum faciat licentiam eligendi confessorem, dicunt interpretandam esse de approbatis ab Episcopo. Sed non est cur ita interpretetur: quia potius existimandum est, superiorem velle, vt religiosus